

STUDIA CANONICA

DE NATURA INSTITUTORUM SAECULARIUM

Scribendi occasio et distinctio quaestionum.

I. Inter Auctores, qui occasione Constitutionis *Provida Mater Ecclesia* (1) de Institutis saecularibus scripserunt, alii de statibus *canonicis*, alii de statibus *iuridicis* non canonicis loquuntur. Res ita simpliciter proposita ac si de mera verborum questione ageretur, nec valorem doctrinalem vel momentum practicum haberet, nec digna forsitan erat quae in nostris Ephemeridibus ex professo tractaretur.

At non semper quaestio intra hos limites continetur, sed ulterius protrahitur et, dum Instituta saecularia status *canonicus* perfectionis appellantur, non res de nominibus proponitur, sed natura ipsa iuridica Institutorum tangitur, nam illa appellatione significatur ipsa saecularia Instituta pertinere ad alteram personarum canonicarum classem iuxta divisionem quae in c. 107 continetur, quaeque partitionem Libri secundi Codicis determinat. Si hoc sensu quaestio proponatur, non est certo res contemnenda, sed momento plena tum sub adspectu doctrinali tum etiam sub adspectu practico. Non est enim indifferens quaestio utrum Instituta debeant *iuridice* adscribi statui canonico religiosorum eorumque assecas inter religiosos computari, vel, e contra, statui canonico non religiosorum seu saecularium addici eorumque alumnos inter saeculares numerari.

2. Liceat, claritatis gratia, rem aliquatenus explicare. Iuxta canonem 107: « Ex divina institutione sunt in Ecclesia *clerici a laicis* distincti, licet non omnes clerici sint divinae institutionis: utrique autem possunt esse *religiosi* ». In quo haud obscure indicatur duplex personarum canonicarum divisio, quae ex diverso titulo seu capite petitur, nempe: ex hierarchia et ex professione perfectionis.

(1) A.A.S. XXXIX (1947), pp. 114-124 Pro allegatione primae partis Constitutionis utimur numeris marginalibus prout in *CpR.* XXVIII (1949), p. 111 sq. inveniuntur.

Ratione hierarchiae, personae in Ecclesia sunt vel *clerici* vel laici; ratione professionis perfectionis, *religiosi* vel *saeculares*. Divisiones huiusmodi non sunt inter se oppositae nec omnino disiunctae: clerici et laici possunt esse religiosi et saeculares possunt esse pariter clerici et laici (2). Oppositio tantummodo habetur inter membra eiusdem divisionis: clerici non possunt esse simul laici, nec religiosi possunt esse simul saeculares, vel e converso, sub eodem quidem respectu.

3. Vertitur, ergo, utrum in divisione quae ratione perfectionis petitur, Instituta adscribenda sint primo vel altero personarum ordini: utrum, nempe, Instituta saecularia habenda sint — non obstante ipsa terminorum repugnantia — uti *religiosa* vel potius uti *saecularia*. In primo casu verbum *religiosi* c. 107 deberet intelligi non in sensu restricto ad normam canonum 487-488, sed in sensu magis lato, iuxta quem omnes qui ad aliquem ex statibus evangelicae perfectionis ab Ecclesia recognitis comprehenderet: gregales, nempe Religionum, Societatum vitae communis et pariter Institutorum saecularium, ac si a Constitutione *Provida Mater Ecclesia* canon relatus, quoad hoc ex nova totius materiae ordinatione, immutatus et veluti abrogatus censendus esset (3). In altero autem casu verbum *religiosi* prae laudati canonis eundem omnino sensum restrictiorem ac ante Constitutionis promulgationem haberet, quatenus tantummodo religiosos proprie dictos pergeret significare necnon alumnos Societatum in communi viventium in quantum religiosi aequiparantur.

Duplex, ergo, quaestio valde diversa, vel melius duplex respectus seu gradus eiusdem quaestionis, nobis proponitur:

1) Utrum Instituta saecularia dicenda sint status *canonicus* perfectionis vel status *iuridicus* non canonicus.

2) Utrum Instituta saecularia sint Societates religiosas vel Societates saeculares. Scilicet, data personarum divisione ex professione evangelicae perfectionis, in religiosos et saeculares, quibusnam adiudicandi sint Instituta saecularia?

4. Antequam tractationem aggrediamur notatam volumus differentiam inter utramque quaestionem seu inter utrumque ipsius

(2) Merito in ipsa prima parte Constitutionis *Provida Mater* dicitur: « *Haec media*, inter clericos et laicos, *religiosorum classis*, quae utrisque clericis et laicis communis esse potest », n. 4.

(3) Vide infra dicenda n. 13.

quaestionis gradum: quousque sint inter se dependentes vel independentes. Ille enim qui tenet Instituta saecularia dici debere *statum canonicum* non eo ipso asserit, vel implicite, ipsa ad *statum canonicum publicum perfectionis* pertinere, seu inter societates religiosas esse adnumeranda: aliud est status canonicus seu iuridicus perfectionis, aliud ordo seu classis personarum canonicarum ex professione evangelicae perfectionis desumptus. Qui, e contra, Instituta saecularia *statum iuridicum non canonicum* nominat, eo ipso satis clare asserit ipsa inter societates quae *statum canonicum publicum* continent non esse computanda.

I. — Utrum Instituta saecularia dicenda sint status iuridicus vel status canonicus perfectionis.

5. *Prima sententia.* Ut in principio dicebamus, non pauci Auctores, praesertim qui statim post Constitutionem *Provida Mater* de Institutis saecularibus scripserunt, asserunt Instituta *statum canonicum, novum, tertium statum canonicum* constituere, inter status canonicos computari, etc. Ita inter alios: ONCLIN (4), BERGH (5), CREUSEN (6), CARPENTIER (7), IOMBART (8), PETIT (9), et praesertim LAUWERS (10), qui ex professo de re agit, quique in sua dissertatione sine distinctione quaestionem demonstrandam assumit, ubi distinctio erat omnino necessaria, ne scriptorum auctoritas adduceretur ad propositionem demonstrandam de qua ipsi non loquuntur et de qua forsitan non ita opinantur.

6. *Argumenta pro prima sententia.* Perplures horum auctorum nullum afferunt argumentum suae rationis loquendi. Nonnulli rationem afferunt quam accurate notare oportet, nam simul clare omnino mentem Auctorum manifestat seu genuinum eorum opinionis sensum. En ex. gr. quae scripsit clmus. CREUSEN: « Les lois de l'Église s'appellent couramment des "canons", on parlera d'un "état canonique

(4) ONCLIN G., *E. Th. L.* XXIV (1948), 457.

(5) BERGH E., *N.R.T.*, LXX (1948), 1053.

(6) CREUSEN J., *R.C.R.* XIX (1947), 57.

(7) CARPENTIER R., *N.R.T.*, LXIX (1947), 427.

(8) IOMBART E., *R.A.M.*, 1948, 272.

(9) PETIT F., *L'Église et les Instituts séculiers*, 1950, 12.

(10) LAUWERS C., *Societates sine votis et status canonicus perfectionis*, *E. Th. L.* XXVIII (1952) XX, 611 sq.

de perfection'', c'est-à-dire reconnu officiellement par l'Église et réglementé par Elle » (11) « la reconnaissance officielle qui fera de ces sociétés un troisième état canonique de perfection... » (12). Eodem plane sensu ONCLIN: « le lois spéciales qui gouvernent ces Instituts... font dorénavant partie de la législation canonique au même titre que les dispositions qui régissent les Religieux et les Sociétés sans vœux » (13); et CARPENTIER: « . . . et d'autres états canoniques de perfection, états canoniques au sens strict, c'est-à-dire reconnus tels par la législation de l'Église » (14). Unde clarissime apparet laudatos Auctores, quando loquuntur de Institutis saecularibus ut de *statu canonico* perfectionis, nihil aliud dicere intendere praeter quam quod illa *statum perfectionis* constituunt ab Ecclesia formaliter *recognitum* uti *statum perfectionis* atque propriis legibus ordinatum, quod ab omnibus potest et debet omnino admitti, nec scimus hucusque ab aliquo negatum fuisse.

Ratio, ergo, qua *statum perfectionis iuridice recognitum* — *statum iuridicum* — *statum canonicum* appellandum esse dicunt, est simplicissima: quia, nempe, leges Ecclesiae *canones* communiter appellantur, unde consequenter iuridicum debet *canonicum* dici. Optime hoc argumentum exponit LAUWERS his verbis: « In primis duo praenotanda sunt: 1) Legem peculiarem, una cum authentica interpretatione ab ipso R. Pontifice data in Motu Proprio « Primo felicitate », habendam esse ut veram ac stricte dictam legem canonicam eiusdem iuridici valoris, quo et ipsae leges Codicis fruuntur. Est vera lex canonica. Ad partem priorem seu doctrinalem eiusdem Constitutionis Apostolicae quod attinet, licet proprie non sit lex, tamen tam ex loco ubi invenitur quam ex auctoritate sui auctoris, praestantissimum nobis praebet criterium quo tuto requiramus ipsam mentem legislatoris in lege peculiari. 2) In foro Ecclesiae non videmus quomodo iustificari valeret distinctio inter *statum iuridicum* et *statum canonicum*, cum in Ecclesia *leges iuridicae et leges canonicae eadem omnino sint*, atque ipse ordo iuridicus constituat ordinem canonicum. Hinc, si Ecclesia determinatum *statum publice recognoscit ac ordinare* decernit per leges peculiare (i.e. bene distinctas a legibus omnibus

(11) CREUSEN J., *R.C.R.*, XIX (1947) 66.

(12) Ib. p. 75.

(13) ONCLIN, *E. Th. L.*, XXIV (1948) 458.

(14) CARPENTIER, *N.R.T.*, LXIX (1947), 427.

fidelibus communibus), ita ut iura et officia omnium ad eundem statum pertinentium accurate determinentur iuridiceque distinguantur a iuribus et officiis aliorum statuum, nonne dicendum est Ecclesiam illum statum in verum statum iuridicum, id est, in casu canonicum erigere velle? » (15).

7. *Secunda opinio.* Pro altera ratione loquendi, de statu nempe non canonico sed simpliciter *iuridico* recenseri possunt Clmi. LARRAONA (16), GUTIÉRREZ (17), CANALS (183), DEL PORTILLO (19), qui omnes expresse notant Instituta saecularia non debere dici statum *canonicum* sed statum *iuridicum* perfectionis. Quibus adiungere possent alii qui quamvis hoc haud notent, ipsi accurate utuntur verbo « *iuridicum* » (20). Haec altera sententia nobis perplacet (21).

8. *Argumenta pro secunda sententia.* In primis *ratione auctoritatis* Patronorum. Absit a nobis ut inter doctorum peritiam comparationem — semper odiosam — statuamus. Auctoritatem Patronorum invocamus, non ratione peritiae, sed ratione officii vel muneris. Re quidem vera non est haec quaestio adeo intricata ut specialis peritia requiratur: sciebant proculdubio huius sententiae fautores leges ecclesiasticas dici communiter *canones*, atque communiter iuridicum dici *canonicum*.

Auctoritas vero horum scriptorum ratione muneris magna est. Omnes supra memorati munus habent vel habuerunt in Sacra Congre-

(15) LAUWERS, l. c. 225.

(16) LARRAONA A., *CpR.* XXVIII (1949), praesertim *Constitutionis « Provida Mater Ecclesia » pars altera, seu Legis peculiaris Institutorum saecularium exegetica, dogmatica, practica illustratio*, pp. 134-258. Ipse cum aliis collaboratoribus diversa studia scripserunt annis 1949-1950, quae postea in volumine separato, cui titulus *De Institutis saecularibus*, publici iuris facta fuerunt. Pro commoditate illorum qui praefatum volumen habent, in allegandis praelaudatis studiis post pag. Epimeridis *CpR.* et intra signum parenthesis, pag. Voluminis addemus.

(17) GUTIÉRREZ A., praesertim *CpR.*, XXIX (1950), 61 sq. (252 sq.).

(18) CANALS NAVARRETE, *Revista Española de Derecho Canónico*, III (1947).

(19) DEL PORTILLO A. in Thesi pro Laurea in Iure Canonico consequenda apud Inst. Angelicum.

(20) Ita ex. gr. FUERTES J. B., *CpR.*, XXVIII (1949), 295 (185); GAMBARI Æ., *Institutorum saecularium et Congregationum religiosarum evolutio comparata*, *CpR.* XXIX (1950), 280 (367).

(21) Cfr. TABERA-ANTOÑANA-ESCUDERO, *El Derecho de los Religiosos*, 2ª, Madrid, 1952, n. 445, ubi vigilanter scribebamus: « El estado que se profesa en los Institutos seculares es un estado *iuridico* de perfección no religioso sino secular ».

gatione de Religiosis, et quidem nonnulli speciatim in ipso Officio pro Institutis saecularibus. Nunc autem quoad auctoritatem praesertim P. LARRAONA ratione officii quo tunc temporis fungebatur, Subsecretarii nempe S. Congregationis, nonne optimam habuit opportunitatem mentem Legislatoris cognoscendi? Alteram enim partem Constitutionis, legem nempe peculiarem ab ipsa Sacra Congregatione, iussu ductuque R. Pontificis ornatam ac expolitam fuisse ipse R. Pontifex testatus in fine primae partis percelebris documenti. Instructio *Cum Sanctissimus* ab ipsa Sacra Congregatione digesta atque promulgata fuit. Qui noverit vitam P. Larraona in Scientia iuridica praesertim quoad Ius Canonicum, maxime autem relate ad Ius religiosorum, non peterit non praesumere suam navitatem in hisce documentis adorandis. Arduum sane negotium demonstrare conclusiones huius Auctoris hac de re minime consentaneas, imo saepe oppositas esse menti legislatoris praefatis documentis expressae, praesertim in rebus aliquius momenti de quibus ipse data opera agit! Quod valet pro hac prima, sed praesertim pro altera huius dissertationis parte.

9. *Argumenta, ergo, positiva* ab Auctoribus adducta haec sunt, quae si una simul sumantur, animum indicunt ad accipiendam hanc alteram loquendi rationem: 1) Ipsum *Constitutionis titulum*: « *De Statibus canonicis Institutisque saecularibus christianae perfectionis* », in quo apparet intentio distinguendi Instituta ab statibus canonicis perfectionis. Opponitur quod in titulo unice determinatur obiectum primarie intentum a legislatore duplex esse: agere de statibus canonicis in genere et speciatim de nova specie, ac si quis scripserit dissertationem sub titulo de Ordinibus et de Societate Iesu, non exinde concluderetur auctorem docere Societatem Iesu nomine veri Ordinis in iure non venire (22).

Non negamus etiam hunc sensum ex titulo Constitutionis deduci posse ideoque argumentum definitivum non praebere. At notamus: a) pro prima acceptione titulum esse undequaque perfectum, pro altera autem, ut aequivocatio vitaretur, oportunum fuisset subnectere particulam *speciatim* vel aliam aequipollentem. In allato exemplo, cum ab omnibus notum sit Societatem Iesu Ordinem religiosum esse statim intelligitur non adesse oppositionem inter utramque orationis partem. Ut vero in nostro casu titulus intelligi posset antequam totam Constitutionem legeretur, cum adhuc ignota esset natura harum nova-

(22) LAUWERS, l. c., 229.

rum institutionum, necessarium fuisset aliquid subiungere quo indicaretur non agi de statibus canonicis *et* de Institutis, sed de statibus canonicis *et speciatim* de uno ex ipsis. Pro hac altera significatione videretur necessarium vel cognoscere antea Instituta esse unum ex statibus canonicis vel hoc deducere ex lectione ipsius Constitutionis. Sensus ergo magis directus et obvius est, ni fallimur, qui oppositionem indicat. b) Lectio constitutionis atque perfecta consequens cognitio naturae iuridicae Institutorum hunc ipsum sensum commendat, simulque curam in seligendo titulo Constitutionis demonstrat, ut ostenditur ex sequentibus argumentis.

10. 2) *Ratio loquendi in documentis adhibita*. Legenti primam partem Constitutionis (nn. 5-8) statim apparet R. Pontificem loqui de duabus Associationum classibus quarum prima illis constat in quibus perfectionem christianam profitentur animae, quae relicto saeculo amplecti cupiunt *statum canonicum* stricte dictum perfectioni acquirendae unice atque ex integro consecratum. Altera vero illis constat optimis novis consociationum formis temporum necessitatibus apprimè respondentibus, in quibus animae, in saeculo, in mundo, manentes — quin ergo *statum canonicum* ingrediantur — vitam ducere queant acquirendae perfectioni christianae admodum consentaneam (n. 7) Omnes huius secundae classis Consociationes — quoad elementa substantialia seu theologica perfectionis — ad status canonicos aliquo modo accedunt. R. Pontifex tamen non intendit agere de omnibus, sed de illis tantum huius classis Consociationibus, quae, ex diversis characteribus, *propius* quam aliae *accedunt* ad status canonicos (n. 8), quin tamen cum illis statibus confundantur, nam ut postea expresse notatur iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones (cc. 487 et 488, 1^o) vel Societates vitae communis (c. 673, § 1) (23), quibus ut supra diximus reservatur nomen *status canonicus perfectionis*.

(23) Liceat nobis integrum fragmentum transcribere, nam illud existimamus maximi momenti in hac quaestione: « (7) His omnibus [de Ordinibus, Congregationibus et Societatibus nn. 5, 6] sapienter, prudenter ac peramanter ordinatis, amplissime provisum fuerat animarum multitudini, quae relicto saeculo amplecti cuperent novum statum canonicum stricte dictum, perfectioni acquirendae unice atque ex integro consecratum. Verum benignissimus Dominus, qui absque personarum acceptione, omnes fideles semel iterumque ad perfectionem ubique sequendam et exercendam invitavit, mirabili Divinae suae Providentiae consilio disposuit ut etiam in saeculo, tot vitiis depravato, nostris praecipue temporibus plures florue-

Ratio huius reservationis inveniri potest in caractere ipso saeculari Institutorum.

II. 3) *Character saecularis Institutorum* exigere videbatur, saltem ut aequivocationes vitarentur ne status perfectionis qui in Institutis saecularibus habetur, etsi *iuridice* recognitus, status *canonicus* perfectionis nominaretur. Contra hoc argumentum alii respondent negando fundamentum, scilicet, negando Instituta ad personarum canonicarum saecularem classem pertinere, explicando characterem saecularem — in ipsorum nomine inditum — de mero facto vivendi in saeculo sine vita communi ut mox videbimus. Haec difficultas solvitur in tota sequenti nostrae dissertationis parte.

Alii dicent nihil adesse contra characterem saecularem recte intellectum, nec periculum aequivocationis existere in eo quod status proprius Institutorum dicatur *status canonicus* perfectionis. Nulla difficultas in eo quod dicatur existere *statum canonicum* perfectionis vere saecularem, sicut nulla difficultas in eo quod dicatur existere *statum iuridicum* vere saecularem. Tamen periculum aequivocationis adesse

runt ac florent animarum selectarum copiae, quae, nedum perfectionis individualis studio aestuent, sed peculiari Dei vocatione in mundo manentes, optimas novas invenire possint Consociationum formas, temporum necessitatibus apprimè respondentes, in quibus vitam ducere queant acquirendae christianae perfectionis admodum consentaneam ». Ergo duplex ratio fundamentalis profitendi perfectionem christianam proponitur a R. Pontifice: 1^a relinquendo saeculum et amplectendo *statum « canonicum »* perfectionis; 2^a in saeculo permanendo et quin amplectatur *status canonicus*, quod fit vel individualiter vel in Societatibus. In n. sequenti loquitur de 2^a ratione his verbis.

« (8) Spiritualium Moderatorum prudentiae ac studio ex animo commendantes, singulorum nobiles perfectionis conatus, in foro interno [*en perfectio individualis quae extra statum canonicum proficitur; statim dicit R. P. de perfectione extra canonicum statum quae exercetur in Societatibus*], de Associationibus nunc solliciti sumus quae coram Ecclesia in foro, uti dicitur, externo ad vitam solide perfectionis proprios sodales quasi manu ducere satagunt atque nituntur. Non tamen de omnibus Consociationibus hic quaestio est, quae in saeculo perfectionem christianam sincero corde sectantur, sed de iis tantum, quae in interna constitutione, in hierarchica regiminis ordinatione, in plena nullisque aliis vinculis limitata deditio, quam a membris proprie dictis requirunt, in consiliorum evangelicorum professione, in ratione denique ministeria et apostolatum exercendi, proprius quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis, ac speciatim ad Societates absque votis publicis (tit. XVII), quamvis non vita communi religiosa, sed aliis externis formis utantur ». Ergo, *vita perfectionis in saeculo — extra statum « canonicum »* perfectionis — assumitur socialiter in duabus Associationum classibus, quarum una proprius quam alia ad status canonicos accedit.

negari non potest ut demonstratur ex eo quod de facto auctoritas eorum qui statum Institutorum statum canonicum perfectionis vocant, ad probandam naturam religiosam ipsorum Institutorum adducatur, ex eo quod, ut dicitur, in tali ratione loquendi implicite continetur illa gravis assertio.

12. Paucis, ergo, hucusque exposita dicamus. Opinio quae defendit *canonicitatem* Institutorum saecularium fundatur in ratione a priori, nempe in modo communiter loquendi; opinio vero quae defendit *iuridicitatem* non canonicitatem, in rationibus a posteriori, scilicet in investigatione mentis legislatoris, et melius naturae iuridicae Institutorum respondit: magis nempe iuri condito adhaeret.

Ceterum hanc quaestionem haud magni facimus dummodo intra limites merae rationis loquendi contineatur.

II. – Utrum Instituta saecularia sint Associationes religiosas vel saeculares.

13. *Quaestio.* Haec altera quaestio, vel alter quaestionis adspectus est absque dubio magni momenti, nam intimam Institutorum naturam iuridicam tangit. En quomodo a LAUWERS in laudata dissertatione proponitur: « Quaestio quae movetur est sequens: Cum Canon 107 ex professo declaret ad constitutionem generalem et publicam Ecclesiae concurrere tres personarum canonicarum classes, scilicet *clericos* et *Laicos*, qui utrique esse possunt *religiosi*, quaeritur cuinam statui canonico adscribendi sint sodales Societatum sine votis (24) Institutorumque saecularium?

Aliis verbis quaeri nunc potest, imo et debet post promulgatam Constitutionem Apostolicam de statibus canonicis perfectionis, utrum vox « *religiosi* », prout in canone doctrinali 107 adhibetur, significare intendat tantum religiosos stricte dictos ad mentem canonum 487-488, an magis generaliter etiam omnes qui ex declarationibus eiusdem citatae constitutionis ad unum alterumve ex tribus statibus perfectionis ab Ecclesia authentice nunc recognitis pertineant? » (25).

(24) Ergo Auctor simul agit de Societatibus sine votis et de Institutis. Nescio revera utrum opportunum fuisset rem ita proponere data essentiali iuridica differentia inter Societates et Instituta. Nos autem nunc de solis Institutis agere intendimus.

(25) LAUWERS, l. c., 215.

Auctori perplacet sententia quae verbum *religiosi* intelligit de triplici statu nempe: religiosorum stricte dictorum, Societatum atque Institutorum. Hanc suam opinionem probare Auctor intendit auctoritate doctorum, ratione intrinseca et solutione argumentorum quibus contrariorum sententia nititur.

14. *Ratio auctoritatis pro sententia P. LAUWERS.* Quoad auctoritatem doctorum haec dicit: « A priori, iam satis mirum est omnes coeteros doctores [praeter PP. LARRAONA et GUTIÉRREZ], qui hucusque de eadem re scripserunt, in eodem sensu erravisse, nisi admittamus causam huius confusionis in ipsis Documentis pontificiis reponendam esse, ex eo quod quaestionem positam ex professo solvere non intenderit Summus Pontifex » (26).

Contra hoc argumentum extrinsecum haec statim notamus: In primis, praeter auctores ab ipso allegatos, alii etiam hac de re scripserunt, qui tamen eandem sententiam non sustinent vel quoad ipsam rationem loquendi quatenus non de statu canonico sed de statu iuridico loquuntur (27). Praeterea ipsi auctores citati sententiam P. LAUWERS in hac parte non sustinent: ipse Auctor cum illorum verba refert, illam magis expressam videre voluisset: notat enim huiusmodi doctores questionem solvisse intelligendo *religiosos* de triplici statu canonico perfectionis, licet saepe modo satis implicito. Revera modo nimis implicito. Citati auctores quaestionem hac ratione solverunt, tantummodo quatenus dicunt statum Institutorum statum *canonicum* loco status *iuridici*, ut ex ipsorum dictorum inspectione comprobari potest (28). Inde accidit ut in decursu dissertationis nullum auctorem

(26) L. c., 220.

(27) Cfr. Auctores citatos in notis 18, 19, 20. Quoad ipsam naturam saecularem Institutorum en pulchra verba E. mi Card. CICOGNANI Nuntii Apostolici apud Hispaniam ad Congressum iuris Canonici Matriti habitum a. 1947: « Pues bien, con la *Provida Mater Ecclesia* entran en acción juntamente con los gloriosos cuerpos selectos, llenos de santas glorias, los Institutos seculares: ya, de hoy más, los seglares también formarán su cuerpo de ejército... »; sis vide in *Vida Religiosa*, IV 1947, 207. Cfr. etiam ANTOÑANA in eadem *Vida Religiosa*.

(28) ONCLIN G., T. Th. L., 1948, XXIV, p. 457: « Les Instituts séculiers sont classés parmi les états de perfection juridiquement organisés et reconnus par l'Eglise ». BERGH E., N.R.T., 1948, LXX, p. 1053: « La Constitution Apostolique instituait officiellement un état canonique nouveau pour la pratique de la perfection qui prenait rang à côté des Religions et Sociétés à vie commune ». CREUSEN J., R.C.R., 1947, XIX, p. 57: « des formes nouvelles de la vie parfaite y sont officiellement reconnues et... prennent place dans l'organisation de la vie catholique réalisée ».

possit disserens allegare pro confirmatione propriarum assertionum nisi tantum ubi asserit Legem peculiarem, una cum authentica interpretatione ab ipso R. Pontifice data in Motu Proprio *Primo feliciter*, habendam esse ut veram ac stricte dictam legem canonicam (29). Sed haec ratio est qua praedicti auctores praeferunt locutionem *canonicum* illae aliae *iuridicum* ad designandum statum perfectionis ab Ecclesia regonitum. Porro aliud est dicere statum proprium Instituto- rum saecularium esse statum *canonicum* perfectionis quia ab Ecclesia suis legibus seu normis canonicis regonitum et ordinatum, et aliud valde diversum, nisi fallimur, asserere verbum *religiosi* cano- nis 107 debere intelligi etiam de membris Institutum saecularium.

Ergo opinio Clmi. LAUWERS est hucusque, uti credimus, omnino singularis.

15. *Ratio intrinseca*. Auctor rationem intrinsecam pro sua sin- gulari opinione hoc argumento concludit: « Ex canone 107 Codicis Iuris Canonici, una cum sua explanatione in textu et contextu Consti- tutionis « Provida Mater Ecclesia », depromi potest ipsa intima na- tura iuridica triplicis status canonici in Ecclesia: clericatus, status canonici perfectionis, ac laicatus.

par le Code de Droit canonique ». Et ibidem ad p. 75: « la reconnaissance offi- cielle qui fera de ces sociétés un troisième état canonique de perfection... ». CAR- PENTIER R., *N.R.T.*, 1947, LXIX, p. 427: « de même que l'état des clercs comporte le degré plénier qui est celui de l'évêque, de même l'état canonique de perfection comporte le degré plénier, réalisé par la vie religieuse proprement dite, et d'autres de perfection, états canoniques au sens strict, c'est-à-dire reconnus comme tels par la législation de l'Eglise ». JOMBART E., *R.A.M.*, 1948, p. 272: « l'état religieux est le premier état de tendance à la perfection...; ... les Sociétés sans voeux sont comme un état canonique secondaire...; les Instituts séculiers constituent un nou- vel état canonique de tendance à la perfection... ». PETIT F., *L'Eglise et les Insti- tats séculiers*, 1950, p. 12-16: « Quand l'Eglise reconnaît officiellement la présence à des degrés divers de l'état moral de perfection dans telle forme de vie chrétienne, observant d'une façon stable et obligatoire les conseils évangéliques, elle établit ce qu'on appelle l'état canonique de perfection... Il y a plu- sieurs états canoniques de pratique de la perfection... les Religions (Ordres religieux ou Congrégations religieuses) qui constituent le degré le plus plénier de l'état ca- nonique de perfection... les sociétés de vie commune... A ces deux états canoniques de pratique de la perfection de vie chrétienne s'ajoute, depuis le 2 février 1947, un troisième état... Ce nouvel état canonique de pratique de la perfection chrétienne est celui des Instituts séculiers ».

(29) LAUWERS, l. c., p. 225.

Atqui natura iuridica secundi status canonici, perfectionis nempe, vere et proprie verificari videtur non tantum in statu religioso, sed etiam sensu vere proprio, in statu perfectionis prout ab Ecclesia tum in Societatibus sine votis, tum in Institutis saecularibus authentice ac publice recognoscitur ac ordinatur.

Ergo status canonicus perfectionis ab Ecclesia actu nunc reco- gnitus specificari potest ac debet in triplicem formam seu speciem: et in qualibet forma seu specie reperiuntur, licet diverso gradu et mo- do, omnes conditiones ad verum statum constituendum requisi- tae » (30).

Quin ad singula huius argumentationis ipsiusque explanationis descendamus, distinctionem afferamus qua, ni fallimur, tota eius vis probandi corrui. Distinctionem inquam, de qua optime in prima suae elucubrationis parte clmus. Auctor, sequens P. GUTIÉRREZ, dis- seruerat, at cuius obliviscitur omnino, ita saltem videtur, in hac al- tera parte. Natura status canonici — *religiosi* c. 107 — salvatur in Institutis saecularibus quoad substantiam, id est, quoad elementa substantialia quae *theologica* dicuntur, ideoque in ipsis invenitur sta- tus perfectionis completus, ipsaque quoad substantiam i.e. theologicè vere religiosa sunt (31) eorumque membra, quoad substantiam i.e. theologicè vere religiosi dicuntur (32). Hoc ab omnibus conceditur nec potest negari stantibus expressis documentorum verbis.

Attamen natura status canonici perfectionis non salvatur in Insti- tutis saecularibus quoad solemnitates seu formalitates iuridicas, ac proinde *iuridice* — non quoad substantiam sed quoad formalitates — nec in ipsis invenitur status perfectionis iuridice Religionibus aequi- paratus, nec ipsa iuridice proprie loquendo dici possunt religiosa, vel eorum sodales religiosi.

Brevius: Instituta saecularia, quoad substantiam — *theologicè* — dici possunt Religiones eorumque membra religiosi; *iuridice* — Jure — ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Reli- giones vel Societates vitae communis (33), nec consequenter eorum membra religiosi.

17. Ipse auctor affert verba satis clara in quibus potuisset et ipse videre vitium propriae argumentationis. Intendit solvere argu-

(30) *Ib.*, p. 221.

(31) Motu Proprio *Primo feliciter*, I.

(12) *Instructio Cum Sanctissimus*, nn. 2, 10.

(33) *Constitutio Provida Mater* art. II, § 1.

mentum desumptum pro saecularitate formali Institutorum ex ipsa voce *saecularis* quae in eorum titulo invenitur et quae videretur contradictorie sese opponere suae opinioni. Dicit, ergo, non debere hanc vocem intelligi ut explicatur a P. LARRAONA, scilicet haec Instituta non esse religiosa, sed inter Associationes fidelium esse generatim enumeranda et ipsorum sodales *saeculares remanere*, quin ex adscriptione, a categoria fidelium saecularium ad religiosam classem trahantur. « Illa interpretatio, scribit, vocis « saecularis » difficillime quadrare censemus cum littera et mente Documentorum Apostolicorum. Statuit R. Pontifex haec Instituta... quoad substantiam accedunt ad status canonicos perfectionis... quamvis non vita communi religiosa (i.e. solemnitate iuridica Religiosis Societatibusque specifica), sed aliis externis formis utantur. Hae Consociationes, quae *inde* Institutorum saecularium nomine venient... » (34).

Re quidem vera ad status canonicos perfectionis aliquo modo accedunt, quoad substantiam, omnes Consociationes quae in saeculo perfectionem christianam sincero corde sectantur, nam quadamtenus elementa habent, quae ad talem statum theologice requiruntur: sed *proprie* accedunt Instituta saecularia ex interna constitutione, ex hierarchica regiminis ordinatione, praesertim (35) ex plena nullisque aliis vinculis limitata deditio. Tamen non vita communi religiosa (i.e. solemnitate iuridica Religiosis Societatibusque specifica), sed aliis externis formis utuntur hae Consociationes, quae *inde* (quia illis elementis iuridicis deficiunt) Institutorum *saecularium* (et non religiosorum) nomine veniunt. Iuridice nempe (ex defectu elementorum iuridicorum) non veniunt nomine Religionis vel Societatum, neque illarum iure obligantur, nec ipso uti possunt.

Nunc autem divisio personarum canonis 107 in religiosos et saeculares non ex elementis theologis sed ex elementis seu solemnitatibus iuridicis sumitur. Non est divisio theologica, sed iuridica seu canonica.

18. *Argumenta pro saecularitate Institutorum.* Debemus nunc propugnare vim argumentorum quibus doctrina de natura saeculari Institutorum nititur, seu impugnare crisim horum argumentorum a

(34) LAUWERS, I. c., p. 231.

(35) Praesertim dicimus, nam interna constitutio atque hierarchica regiminis ordinatio non censetur adeo essentiales ut desint Instituta in quibus tales formae constitutionis et regiminis haud inveniantur. Cfr. Motu Proprio *Primo feliciter* IV.

Clmo. LAUWERS factam. Et praeprimis valde notandum est inter huiusmodi argumenta non recenseri a Clmo. Auctore illud quod in art. II § 1 Legis peculiaris continetur. Hunc articulum ne semel commemoratum vidimus in hac dissertationis parte in qua argumenta contrariae sententiae impugnantur. Nunc autem, praefatum articulum haud parvi momenti esse pro definienda Institutorum natura omnibus compertum est.

Liceat ergo illum referre et summatim cum opinione de iuridica natura religiosa Institutorum conferre.

« Instituta saecularia, cum nec tria publica religionis vota (cc. 1308 § 1 et 488, 1º) admittant, nec communem vitam seu commorationem sub eodem tecto suis membris, ad normam canonum imponant (c. 487 et 488, 1º sqq. et 673 sqq.): 1º Iure, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones (cc. 487 et 488, 1º) vel Societates vitae communis (c. 673 § 1): 2º Religionum aut Societatum vitae communis proprio peculiari iure non obligantur, neque ipso uti possunt, nisi quatenus aliquod huius iuris praescriptum, illius praecipue quo Societates absque votis publicis utuntur legitime ipsis, per exceptionem, accommodatum fuerit atque applicatum ».

Instituta saecularia, ergo, *iure*, ex regula, nec sunt nec proprie loquendo dici queunt Religiones. Quo autem pacto eorum membra sunt aut possunt dici *religiosi*? Si ipsa Constitutione edocemur Instituta iure non esse nec posse dici Religiones, quo modo potest asseri ipsam Constitutionem totam materiam ex integro ordinare, ita ut verbum *religiosi* canonis 107 possit vel debeat intelligi etiam de membris Societatum, de quibus expresse statuitur nec esse nec posse dici religiones? Possunt venire nomine *religiosi* membra Societatum quae non possunt venire nomine Religionis? (c. 673, § 1).

19. *Characterem formaliter saecularem luculenter probat ipsum nomen* harum Societatum. Vocantur enim Instituta saecularia. Contra hanc deductionem proponitur vera et authentica explicatio sensus huius vocis. « En vera authentica explicatio originis et sensus vocis "saecularis"; dum ceteri status canonici perfectionis vitam consiliorum profiteantur oportet in communi vivendo, hic status perfectionis, licet sodales eandem substantialem perfectionem prosequi teneantur, aliis iuridicis formis ac solemnitatibus utitur, inter quas eminet absentia vitae in communi » (36).

(36) LAUWERS, I. c. 231.

Sed haec, nisi fallimur, non de nudo *facto* absentiae vitae communis intelligenda sunt — nam vitam communem *de facto* apud plura instituta existere nescimus (37) —, sed de elemento quodam iuridico. Non sunt saeculares quia *de facto* in saeculo, non in communitate vivunt, sed quia *iure* in saeculo remanent: a iure considerantur in saeculo et non in illo statu cuius nota essentialis est iuridice fuga a saeculo, in quem quis ingreditur saeculum derelinquendo, a quo egreditur ad saeculum revertendo. Si ergo, sodales Institutorum coram iure in saeculo versantur, iuridice saeculares dicendi sunt, pari licet contraria ratione ac sodales Religionum ac Societatum non sunt iuridice saeculares, ex eo quod extra saeculum vivunt, et saeculares iterum tantummodo fiunt si per discesum saecularizentur. Absentia vitae communis ad normam canonum — vitae communis canonicae — non est elementum parvipendendum, est fundamentum et ratio — una cum carentia publicitatis votorum — cur Instituta *iure* non sint nec proprie loquendo dici queant Religiones vel Societates vitae communis (38).

20. Contra interpretationem vocis *saecularis* iuxta quam Instituta debent generice inter Associationes fidelium computari, allegantur textus documentorum in quibus agitur de distinctione inter Instituta saecularia et communes fidelium Associationes (39). At nonne contrarium huiusmodi textus demonstrant? Textus Legis peculiaris (art. I) iuxta quem deberent ceteri interpretari si forsitam obscuritate laborarent, dicit: « . . . ut apte ab aliis fidelium communibus Associationibus distinguantur... ». Nonne clare innuitur divisio quaedam

(37) Et non obstante vita communi *de facto*, Constitutiones horum Institutorum dicunt suorum sodalium in mundo vivere. En ex. gr. quae in Constitutionibus Cuiusdam Instituti legimus: « 1. . . sont des laïques du sexe féminin groupées en un Institut séculier, dont les membres vivent en commun... 3. A. L'Institut a come but premier et principal la santification personnelle des membres, en vu de la plus grande gloire de Dieu, par la pratique des trois conseils évangéliques, dans una vie chrétienne pleinement vécue *au milieu du monde* ». Et in alio: « è un Istituto secolare, composto di chierici e di laici, uomini e donne, che, a tenore della predetta Costituzione Pontificia e delle peculiari presenti Costituzioni, debitamente organizzati e in vita comune, professano, in mezzo al secolo, la totale consacrazione al Signore e la piena dedizione all'apostolato ».

(38) Lex peculiaris art. II, § 1.

(39) Motu proprio *Primo feliciter* I: Instructio *Cum Sanctissimus*, nn. 2, 10. Cfr. LAUWERS, l. c. p. 23, 231.

Associationum fidelium: *aliae* et *aliae*: aliae, quae *Instituta saecularia* vocantur ut ab aliis distinguantur? Numquid de Religionibus recte diceretur: ut ab *aliis* fidelium communibus Associationibus distinguantur, et non simpliciter ut a fidelium Associationibus distinguantur?

Ex una parte in hoc art. I datur nomen quo Instituta distinguantur ab *aliis* fidelium Associationibus; ex altera dicitur in art. II, supra a nobis commemorato, quod non sunt nec dici possunt Religiones vel Societates vitae communis. Nonne his satis clare exprimitur ipsa adscribi debere Associationibus saecularium et non Societatibus quarum membra nomine religiosorum venire possunt? Nonne satis clare iuridicus character religiosus negatur et saecularis affirmatur?

21. Ergo, de iure condito Instituta saecularia sunt Associationes fidelium *qualificatae*, vel si velimus, ad modum loquendi in Motu Proprio (I) et Instructione (nn. 2, 10) adhibitum, Associationes fidelium non communes sed *speciales*. Associationes nempe fidelium, quae continent statum perfectionis iuridice recognitum. De iure condito, diximus, et iuxta actualem iuris evolutionem.

« Interpretari verbum "religiosi" in canone 107 in sensu magis coarctato, contradiceret ipsi evolutione disciplinae et doctrinae iuris canonici hodierni »; ita exprimitur Clmus. LAUWERS (40). Fatendum tamen est evolutionem disciplinae et doctrinae iuris canonici eo usque haud pervenisse. P. GAMBARI in sua pulcherrima dissertatione circa Institutorum evolutionem cum evolutione Congregationum religiosarum comparatam (41) haec uti concludendo scribit: « . . . unde insistit in carentia communitatis vitae in sensu materiali ex quo inapplicabilis esset dictis sodalitatibus totus complexus iuris religiosorum. Quia communitas vitae permeat et informat totam disciplinam vitae religiosae, agnoscere characterem religiosum istis novis sodalitatibus secumferret eversionem in iure religioso nuper laboriose definito ac ordinato.

Istis rationibus adde novas formas vitae perfectionis, etsi uberes fructus protulerint, abundantioresque pro futuro praenuntient, nondum tamen diuturna experientia comprobatae sunt: mos vero est Ecclesiae probare novitates atque illas veluti per gradus sua suprema

(40) LAUWERS, l. c. p.

(41) GAMBARI *Æ.*, *Institutorum saecularium et Congregationum religiosarum evolutio comparata*, *CpR.* XXIX (1950), p. 224-280 (312-367).

sanctione munire, quod mire illustratur in historia Congregationum votorum simplicium.

Istas, ni fallimur supponere possumus fuisse rationes quibus adducta est auctoritas ecclesiastica ad constituendum novum statum iuridicum perfectionis, potius quam inter religiones connumerare novas formas vitae perfectae et earum sectatores uti religiosos habere » (42).

22. *Argumentum* quod a P. Lauwers dicitur principale *ex principio generali iuris ecclesiastici publici* deductum, potius quam argumentum saecularitatis diceremus consequentiam ipsius. Scilicet, potius quam probari Instituta esse computanta inter Associationes laicales seu saeculares, quia statum iuris privati constituunt, probatur ipsa statum iuris privati cunstituere quia sunt Associationes laicales. Principium de saecularitate oritur magis directe ex ipsis documentis pontificiis. Si constat Instituta inter Associationes laicales computari, sequitur eo ipso eadem pertinere ad tertium statum publicum, nempe ad laicatum atque in ipso constituere statum perfectionis iuris privati. Ergo, quoad confutationem huius argumenti ab Auctore factam nihil dicendum.

Tamen, quin intendamus omnia propugnare quae hac de re dicuntur a Clmis. PP. LARRAONA et GUTIÉRREZ, nam non est hic locus, duo animadvertimus circa confutationem P. LAUWERS: 1) Contra assertionem P. GUTIÉRREZ iuxta quam status iuridicus iuris publici inducitur *actu formaliter publico* (43), opponit quod adest casus in quo actu formaliter privato potest induci status publicus, nempe quando quis introducit in Ecclesiam baptismate collato a persona privata, imo acatholica etiam contra statuta Episcopi (44). Sed hoc prorsus negandum videtur. Baptismus est in se semper et ubique actus essentialiter publicus, quin haec ipsius qualitas a persona ministri dependeat. Semper confertur nomine Ecclesiae; semper est Christus qui baptizat. Professio religiosa recipitur a publica auctoritate — est actus publicus — etsi de facto ex commissione recipiatur a persona de caetero privatissima.

2) Quae de *auctoritate dominativa publica* a Clmo. P. LAR-

(42) GAMBARI, l. c. p. 279 (366).

(43) GUTIÉRREZ, *CpR.* XXIX (1950), 79 (270).

(44) LAUWERS, l. c. 236.

RAONA dicuntur (45) non sunt talia — adeo fundamento distituta — quae possint meris affirmationibus aut negationibus impugnari. Responsum Commissionis Interpretis diei 26 Mar. 1952 (46) qua potestati dominativae Superiorum et Capitulorum in Religionibus et Societatibus normae canonicae (cc. 197-198, 206-209) applicantur, valde, ni fallimur, opinioni Clmi. Magistri favet. Saltem nequit in posterum quaestio de divisione potestatis ecclesiasticae resolvi illa simplici divisione: in potestatem publicam seu iurisdictionem, et potestatem privatam seu dominativam; illa propria, pro nostro casu, Religionum et Societatum exemptarum, haec autem propria Congregationum, Societatum et Institutorum. Potestas dominativa debet in duplicem speciem iterum dividi: alia ordinis superioris — quare non characteris publici? — quae in pluribus potestati iurisdictionis aequiparatur, quaeque est propria Religionum et Societatum, et alia ordinis inferioris — characteris omnino privati — propria Institutorum saecularium aliarumque Societatum ecclesiasticarum. In quo, praeterea, haud obscure innuitur iuridica differentia inter statum perfectionis religionum et Societatum, et statum Institutorum (47).

23. Tandem adest argumentum pro saecularitate Institutorum a Clmo Auctore non consideratum: *historia harum institutionum atque sensus communis eorum qui in Institutis saecularibus militant*. Sciunt sodales Institutorum saecularium se inter saeculares connumerari, non inter religiosos. Nonnulli, revera characterem religiosum ambirent, si hoc possibile esset nec notis peculiaribus Instituti quoad vitam vel quoad rationem apostolatus exercendi repugnaret. Sed, ni fallimur, maior eorum pars characterem religiosum non desiderant sed potius reiiciunt. Quaerunt non tantummodo factum libertatis a quibusdam elementis seu solemnitatibus Religionum Societatumque propriis seu specialibus, ut habitus (48) et praesertim vita communis, quo possint maius apostolatum sic dictum *penetrationis* exercere, ac si ageretur de Religione larvata; sed ipsam saecularitatem, i.e. permanere iuridice vere et proprie saeculares.

(45) LARRAONA, *De potestate dominativa publica*, in *Acta Congressus Iuridici Internationalis*, Romae 12-17 Nov. 1934, vol. IV, pp. 145-180. Cfr. etiam FOLLASSO, *De extensione iuridica Instituti exemptionis religiosorum...* Romae, 1947, p. 6 ss., 48 ss.

(46) A.A.S., XLIV (1952), 497.

(47) TABERA-ANTOÑANA-ESCUERO, *El Derecho de los Religiosos*, apéndice al n. 54.

Quandoque Instituta oriebantur quidem ex proposito exercendi apostolatium qui a religiosis non poterat exerceri — apostolatium penetrationis —, et in his casibus sufficeret secretum conditionis religiosae apostolorum: sufficeret larva saecularis qua celaretur vera persona religiosa. In aliis vero casibus Instituta nascuntur expressa intentione atque proposito consecrandi et efficaciorum reddendi apostolatium laicalem — saecularem —: consecrandi professione consiliorum et efficaciorum reddendi plena et iugi deditione. Unde saepe nascuntur Instituta ex selectis coetibus Actionis Catholicae, qui nullo modo intendunt naturae sui apostolatus renuntiare. Saepe tandem hunc finem expresse persequuntur: propagandi inter saeculares vitam perfectionis evangelicae ad hoc ut perfectio vitae christianae, etiam quoad consilia, inter personas saeculares sectatores quoque habeat (49). Persaepe, ergo, apparet in concreto intentio inserendi praxim consiliorum evangelicorum in vita ipsa saeculari. In his casibus, ut patet, vera, non ficta secularitas intenditur. Age vero, S. Sedes huic animarum proposito fecit satis instituendo novum statum perfectionis suis legibus recognitum atque ordinatum, insitum in ipso statu canonico saeculari. Quem statum, privatum quidem, commisit curae S. C. de Religiosis, illius nempe Congregationis quae de statibus publicis perfectionis regimen et curam gerit (50).

Perperam ex eo quod Instituta committantur Illi Congregationi quae de *statibus publicis perfectionis* curam gerit deduceretur ipsa

(48) Revera habitus specialis non est elementum requisitum pro statu religioso. Existunt haud paucae Religiones in quibus habitus specialis non habetur. S. Congregatio huiusmodi Congregationes sine magna difficultate hadie approbat. Cfr. GAMBARI, *CpR.*, XXIX (1950), 279 (366). Contrarium videtur dicere LAUWERS, l. c. 89.

(49) Sint ad exemplum quae dicuntur in n. 1 Constitutionis Instituti clericali dicti « *Société du Coeur de Jésus* », ubi clare apparet sacerdotes ipsius membrum suum statum clericorum dioecesanorum — seu saecularium — non amittere: « La Société du Coeur de Jésus est un Institut Séculier dont la fin générale est de procurer la gloire de Dieu en aidant les prêtres du clergé diocésain à répondre pleinement aux exigences de sainteté de leur sacerdoce ».

« Sa fin spéciale est de leur faire pratiquer la perfection évangélique au milieu même du monde, comme les Apôtres et leurs disciples au temps de l'Eglise naissante ».

« Pour atteindre ce but, la Société, tout en laissant ses membres dans le cadre diocésain où la Providence les a placés, les engage dans la voie des conseils évangéliques par les vœux de pauvreté, de chasteté et d'obéissance, selon les présentes Constitutions et sous les auspices du Coeur de Jésus ».

(50) Motu Proprio *Primo feliciter*, V.

instituta statum publicum constituere (51). Ratio cur competentiae S. C. de Religiosis demandata fuit Institutorum cura, non eorum publicitas, sed plena evangelicorum consiliorum professio, fuit illa nempe ratio vitae, qua Instituta saecularia ad status canonicos proprius accedunt. Qui aliquo modo noverit historiam huius quaestionis competentiae inter Congregationes Concilii et Religiosorum, admittet absque dubio Instituta non fuisse C. de Religiosis subiecta ex eo quod statum publicum constituerent, sed ex peculiaribus notis vitae perfectionis et apostolatus, quibus ab aliis Associationibus saecularibus distinguebantur. Revera, attenda eorum natura iuridica, potius ad competentiam C. Concilii pertinere viderentur: attenda vero substantia, vita nempe theologice religiosa, quae in ipsis intendebatur, satius C. de Religiosis commissa fuerunt. Nulla praeterea difficultas quominus Societates saeculares ad competentiam S. Congregationis de Religiosis pertineant; Associationes saeculares sunt tertii Ordines saeculares, quae, licet non eadem amplitudine, ex ipso Codice ad istius Congregationis competentiam pertinent.

24. *Novissima confirmatio*. Iam iam huic nostro studio finem imponebamus, et ecce ad nos pervenit Vol. II *Actorum et Documentorum Congressus Generalis de statibus perfectionis*, Romae 1950 (52). In ipso duplex oratio (*argumentum*) circa Instituta Saecularia habita fuit: altera a Clmo. P. GUTIÉRREZ (53), altera a Clmo. DEL PORTILLO (54). Praeterea tres Scriptores (55) suam relationem scriptam miserunt circa primum argumentum, et alii duo (56) circa secundum.

Nullus eorum loquitur de statu *canonico* eo vel minus de Institutis ac de Societatibus iuridice religiosis. E contra omnes, et praesertim, qui rem aliquo modo sub adpectu iuris considerarunt, favent

(51) LAUWERS, l. c. 235.

(52) *Acta et Documenta Congressus Generalis de Statibus Perfectionis*, Vol. II, Romae, 1952.

(53) *Instituta saecularia ut status recognitus perfectionis*. O. c. pp. 234-279. n. 118.

(54) *Constitutio, formae diversae, institutio, regimen, apostolatus Institutorum saecularium*. Ib. pp. 289-303, n. 120.

(55) GALLONE H., O. c. pp. 279-281, n. 117; HENRY M., ib. pp. 282-285, n. 118; MARIA EUGENIUS A IESU INFANTE, ib. pp. 285-288, n. 119.

(56) LANGASCO A., O. c. pp. 304-307, n. 121; LABOR L., ib. pp. 308-315, n. 122.

nostrae sententiae quoad alteram partem apertis verbis et, valde notandum, quin dubium vel remote innuant.

Nihil dicimus de P. GUTIÉRREZ, qui doctrinam in *CpR.* expositam confirmat. DEL PORTILLO expresse notat rationem loquendi de statibus *iuridicis* loquendo relate ad Instituta, dum pro Ordinibus, Congregationibus Societatibusque reservat vocem (57) status *canonicus*. De altera quaestionis parte apertissime semel atque iterum mentem, sine ulla haesitatione manifestat (58). Iuridicam Institutorum saecularitatem optime probat ex illis verbis art. I Legis. peculiaris in quibus innititur CImus. LAUWERS ad sustinendam suam singularem sententiam: « *ut ab aliis fidelium communibus Associationibus apte distinguantur* » (59) CImus. P. MARIA EUGENIUS A IESU INFANTE scribit: « En établissant des états de perfection parmi les rangs du laïcat, l'Eglise ne dévalorise en rien la perfection chrétienne, ni les états de perfection » (60). CImus. P. AGATHANGELUS A LANGASCO agit de Institutis saecularibus clericalibus dioecesanis et ait: « Agitur de Institutis saecularibus quorum sodales sunt clerici vel sacerdotes saeculares alicui dioecesi incardinati... » (61): paulo post tractat de Institutis saecularibus Terti Ordinis saecularis et scribit: « *a* » nec ex natura rei, nam agitur in utroque casu de *coetu saecularium*... » (62). Ceteri Scriptores rem ita expresse non proponunt, at loquuntur satis clare, ita v. gr. CImus. LABOR qui dum de Institutis scribit de laicis tantummodo in tota sua relatione loquitur: *La responsabilità dei laici, la spiritualità del laicato, l'ubbidienza dei laici, la castità dei laici, la povertà dei laici* (63).

25. *Conclusio.* Quoad primam quaestionis partem, quae est potius de nominibus, melius nobis videtur ratio loquendi iuxta quam Instituta saecularia non *status canonicus*, sed *status iuridicus* nominantur, quatenus magis consentanea apparet et documentis S. Sedis et naturae Institutorum.

Quoad alteram vero partem, quae ipsam Institutorum naturam tangit, opinio iuxta quam caractere religioso iuridice insignita di-

(57) L. c. p. 289.

(58) L. c. p. 289, 291 praesertim.

(59) L. c. p. 289, 2.

(60) L. c. p. 286, a), 1.

(61) L. c. p. 304, I, 1.

(62) Ib. p. 306, II, 1.

(63) L. c.

cuntur, ita ut ad statum canonicum religiosorum proprium pertineant, quatenus ipsa, non inter Associationes fidelium, sed inter religiosas; eorumque sodales, non inter saeculares, sed inter religiosos ad normam c. 107 computari debeant vel possint, nobis gravis error videtur contra ipsam Institutorum essentiam.

GERARDUS ESCUDERO C.M.F.

DE PROCESSIONE IN FESTO CORPORIS CHRISTI

AN SIT ECCLESIA DIGNIOR, AD NORMAM CAN. 1291 § 1
ECCLESIA ABBATIALIS AUT PAROECIALIS

QUAESTIONIS PROPOSITIO ET DELIMITATIO

De processione in festo corporis Christi

Canon 1291 § 1 § 2 ita profertur: « § 1. Nisi aliter ferat immemorabilis consuetudo, vel locorum circumstantiae, prudenti Episcopi iudicio, aliud exigant, die festo Corporis Christi unica tantum sollemnisque per publicas vias processio in uno eodemque loco fieri debet *ab ecclesia digniore*, eique clerici omnes religiosaeque virorum familiae, *etiam exemptae*, et laicorum confraternitates interesse debent, regularibus exceptis qui in strictiore clausura perpetuo vivant, aut a civitate ultra tria millia passuum distent.

« § 2. Ceterae paroeciae et ecclesiae *etiam regulares* possunt, *intra octavum*, proprias processiones extra ecclesiae ambitum agere; sed ubi plures sunt ecclesiae, Ordinarii loci est dies, horas ac vias praestituere quibus suam quaeque processionem agant ».

Praemitto: 1. Abstrahendo a norma can. 1291 § 1 ecclesia abbatialis est sine dubio dignior quam ecclesia parochialis. Schema ad Codicem de Ecclesiis, in can. 475 hunc dignitatis ordinem inter Ecclesias statuit:

1) Ecclesiae patriarchales Urbis; 2) Aliae patriarchales ecclesiae; 3) Ecclesiae primatiales; 4) Ecclesiae metropolitanae; 5) Ecclesiae cathedrales; 6) Ecclesiae praelatitiae nullius; 7) Ecclesiae praelatitiae quasi-nullius; 8) *Ecclesiae praelatitiae simplices*; 9) Ecclesiae collegiatae; 10) *Ecclesiae parochiales*; 11) Ecclesiae succursales; 12) Ecclesiae regulares; 13) Ecclesiae aliorum religiosorum, confraternitatum, locorum piorum, etc.